



**S**igismundus Rotenburgi ad Nicrum in Sueuia  
 natus, & in bonis literis optimè educatus est. Is  
 cum prima rudimenta foeliciter percepisset, sese ad  
 Tubingensem academiam contulit, atque artibus  
 & linguis præclaram operam nauauit. Itaque fa-  
 ctum ut inter artium professores ascitus, iuuentu-  
 tem egregiè in scholis instituerit, atque cunctis bo-  
 nis gratissimus sua diligentia & uitæ integritate  
 fuerit. Cum autem hæcenus Grammatices præ-  
 cepta ex obscuris authoribus peterentur, ipse faci-  
 liori methodo rudimenta prima Grammaticæ col-  
 legit, atque in usum puerorum edidit. quin etiam  
 Syntaxin Latinæ linguæ multò felicius quàm ante-  
 cessores conscripsit, atque Argentorati anno millesimo quingentesimo qua-  
 dragesimo quarto publicauit. Cum hoc modo de re literaria optimè me-  
 ritus, ipsamque iuuentutem per multos annos magno successu instituisset,  
 tandem senex obiit, atque honestè apud suos sepultus fuit. Conrad. Gess.  
 in Bibliotheca.